

Gummelstrand

M-s. 201
3.

295.

12

DEFENSIO
INSPIRATIONIS DIVINAE
VATVM SACRORVM
ADVERSVS
ENTHVSIASTMVM POETICVM.

PRAELECTIONIBVS
PROFESSORIS THEOLOGIAE ORDINARII
AVSPICANDIS
PRAEMISSA.

A

GVILIELMO ABRAHAMO TELLER D.
PASTORE PRIMARIO AD AEDEM D. STEPHANI
ET SUPERINTENDENTE GENERALI.

HELMSTADII
LITTERIS MICHAELIS GVNTHERI LEVCKART.

DATIS 1510
INSPRAGIONIS DIVINAE
AVTVM SACRUM

LUTHERI ET MARCI PODESTIAK
AD GREGORIUS

THEOLOGIAE DISCIPULI
PROTECTORIS THEODORAE OZOLIAE

IN SPLENDIDA CARNALIA VITIO
PARVUS TERRAQUEO TERRITORIO
SALVATORE SIC IN QUINTA

HELIOPOLIS
PROTECTORIS THEODORAE OZOLIAE



Cum nuper otii fruendi caussa SCHÄFTSBVRIVM in manus fumerem, incidi statim in illum sermonem, qui est ab eo de *Enthusiasmo ad amicum per litteras factus* *). Gaudebam argumentum adeo arduum atque graue ab eo tractatum reperire, quem non ignorabam, et ob magnum in iudicando acumen, et ob egregiam in disputando subtilitatem multis probari. Etsi enim ab familiari illo scribendi genere, quo usum esse videbam Virum Cel. perfecti operis elaboratio abhorret, neque idem artificiose extructum ordinem desiderat, quin potius delectare debeat grata quadam negligentia; tamen expetandum erat, vt Vir Tantus prima certe fundamenta poseret,

A 2

DFG

* A Letter concerning Enthusiasm to my Lord — quae epistola ante edita anno 1708, postea primo Volumini eius Charactericks of Men, Manners, Opinions and Times inserta est. Utetur vero in excitandis verbis Auctoris editione, quae anno MDCCXLIX in forma minima prodiit.

neret, quibus ab alio totum aedificium posset superstrui, ea-
 que omnia vndeque colligeret, quae deinde facile esset
 cuius in ordinem redigere. Sed, dum nunc totum sermo-
 nem miro desiderio perlegeremus, vix satis mirari potera-
 mus, nos tantopere fecellisse opinionem. Quem enim praecipue
 nobis narrabat *Enthusiasmum* suorum hominum, qui
 siue in docenda religione, siue in eadem exercenda, velut
 mente capti insaniunt et cum fanatica corporis iactatione
 mira loquuntur, eum non valde desiderabamus a Philosopho
 nobis explicari, cum sit totus Medicis relinquendus, eorum
 que et in iudicando fagacitati, et in prouidendo follertiae. Ita-
 que atram illam bilem, vnde deinde aegritudo quaedam ani-
 mi, miras de Deo opiniones pariens, oriatur, in caussis
 illius a Viro docto politam, nihil admodum ad nos pertinere
 existimauimus, qui ab eo, qui se Philosophum profliteretur,
 edoceri cupiebamus, quae sint caussae motuum illorum animi
 vehementiorum et sensuum elatiorum, ex quibus Poetae im-
 primis nacti sunt id, ut vere inspirati esse a Veteribus crederen-
 tur, multique sibi ipsi ἐνθουσιασμὸν quendam tribuerent.
 Atque hoc minus illa de fanaticorum quorundam hominum
 entusiasmo nobis placebat disputatio, cum videremus ea
 abuti Auctorem eo, ut lectorem bono animo sequentem per
 ambages viarum, iocis et hilari risu Comitis Tanti amoeno-
 res redditas, ad *Scepticismum* adduceret. Nam ita totam il-
 lam epistolam eiusque defensionem, quam ei Auctor in suis
Miscellaneous reflections paravit, vtramque, itaque, aequo
 animo perlegenti facile patebit, duo religionis extrema
Scepticismum et *Enthusiasmum* ab eo sic poni, quasi nullum
 interest medium; hunc iterum bifariam partiri, ut sit vel
 fanaticismus, isque oriatur ex amoris abundantia, vel *super-*
ſtitio


¶ ¶ ¶

*sitio ex nimio Diuini Numinis timore originem ducens; vtrumque porro rideri, vt tandem vnu remaneat Scepticismus, ad quem risum stultum timenti necessario confugendum sit. Quin etiam, vt hoc facilius eset fuga, huic epistole proxime adiungi curauit, an Essay on Freedom of wit and Humour, in qua libertate sensum communem quaerit, hacque in ipsa religione, quomodo vtendum sit, non solum praecipiendo, verum etiam fideliter praeceundo docet *).*

A 3

Quam

*) Ut ipsis lectoribus nostris liberum iudicium relinquamus in iis, quae de SCHAPTSBVRII in opinione temeritate affirmauimus, lo. os quosdam hic adscribemus, ex quibus simul summis nostrum iudicium efficiens. Itaque eos conferre iubemus in epist. Sect. II. p. 11. de Terrorre Panico in religione Thus my Lord — And Thus is Religion also Panick — Sect. III. pag. 15. seq. de *to-
candi acumine* — But my Lord you may perhaps wonder — All I contend for is to think of it (*religion*) in a right humour — Sect. IV. p. 22 seqq. de *Jobi persona* — we have a notable Instance of this *Freedom* in one of our sacred Authors — in *mi-
scellis sermonibus* Vol. II. obseruat. II. Cap. I. p. 29. — Upon the whole — the Enthusiasme which works by *Love* is sub-
iect — and that by *Fear* — to many — *Superstitions* — Cap. II. p. 51. de *Scepticismo* — To say truth, Jhave often wonder'd to find such a disturbance rais'd about the simple name of Sceptick. Sed ne quis putet nos affinxisse Auctori aliquid, si in ultimo contextu eum affirmari videat, inter DOGMATISTEN et SCEPTICVM nullum dari medium (between these two sta-
tes of Mind there can be no medium) quod aperte repugnaret iis, quae supra reprehendimus, necesse est, vt moneamus, eundem neminem Dogmatisten posse dici affirmare, nisi in iis, quae aut ex singulari inspiratione accepérunt, aut suis oculis vide-
runt — So that whoeuer is not conscious of revelation, nor has certain Knowledg of Miracle, can be no more than Sceptick in the case. Quae si denuo comparentur cum sequentibus, in quibus certae cognitioni opponit eam, quae est *historica*, pate-
bit, nullam aliam per illam indicari praeter eam, quae a sensi-
bus



Quam magno vero acumine opus esse putemus, ut quis intelligat, veram religionem sine ficto illo *Enthusiasmo* esse posse, aut potius reperiri in ea *virtutis* quendam *Enthusiasmum* vnicet verum et ab ipso Apostolo sua sum — πληροῦθεν πνεύματι. Sed pergamus in superiore narratione. Itaque missa illa de *Enthusiasmo* fanaticorum aut superstitionum hominum fabula, dum magis curamus de eo, qui Poetarum proprius esse existimetur, quaedam nosſe, non solum valde ieiune Auctorem hunc locum tractasse reperiebamus, verum quoque ea posuisse, quae, vti ad explicandum intelligendumque parum conferrent, ita inspirationi diuinæ valde periculosa effent. Sic enim ab eo affirmari videbamus, *nulas certas reperiri notas, quibus inspiratio diuina a furore poetico possit discerni: se numquam diuinum Numen sensu suo expertrum esse, ut haec talia discernere possit: se pro diuinitus inspiratis sacros libros habetens solum habere, si eos publica autoritate superiorum manitos videat; et quae sunt alia huius generis* *).

His

bus internis dicitur. Manet itaque semper certum, cum omnem religionem *veram* ad Scepticismum reduxisse, cui tamquam alterum extrellum opposita sit *falsa*, *Enthusiasmus* ipsi dicta. Ceterum quid per *Wit and Humour* intelligat, ipse explicat in *Miscellis sermonibus* Cap. III. vbi in defensionem virtus que p. 83. dicit; libros V. T. poeticos non minus abundare jocular Wit acumine ioci pleno. Impudens os!

*^o) In Epist. Sect. VII. p. 36. Nor can divine Inspiration by its outward Marks be easily distinguish'd from it (*Enthusiasm*) — The Passion the raiſe is much alike — *in misc. serm.* p. 50. as for what relates to revelation the Author professes to believe — as for as is possible for any one who himself had neuer experienc'd any divine communication — quibus si quis addat, quae de Sceptismo mox affirmantate a nobis commemorata, habebit hic quoque Scepticisnum Auctoris. Tandem ibidem p.

157

His omnibus itaque cum animaduerteremus ob *probabilem* Enthusiasmum, *veram* inspirationem dubiam ab Auctore reddi, contra quam fieri solet a multis, qui parum absint, quin hanc quoque, et si faciliore lapsum, Poetis tribuant; ea res effecit, ut multa nobiscum de Vatum Sacrorum inspiratione ageremus, omniaque experiremur, si possemus cogitando assequi eiusmodi quid, quo posito non timendum esset, ne sacra cum humanis miscerentur, aut diuina humani ingenii effecta putarentur. Videbamus etiam nobis non sine aliquo successu in ista commentatione versari, ut itaque constitueremus, eam aliquando cum aliis communicare. Quare cum iam scribendi occasionem nocti simus, neque aliena sit talia quaerere, hoc imprimis tempore, quo Poesis quotidie, ut ornatior atque splendidior, ita quoque sublimior atque vehementior fit; fuscipiemus defensionem *inspirationis diuinæ* Vatum sacrorum aduersus *Enthusiasmum Poeticum*, illiusque caussam ita perorabimus, ut ostendamus, neque *hunc in possessionem illius admittendum esse*, neque *illam de sua possessione deturbandam, tamquam quae numquam ius suum exercuisse*. Vtrumque fiet planum faciendo, esse *primum* in *Enthusiasmo poetico* non tanta, quae adeo cogere debeant, *inspirationem vere diuinam*, aut deferere, aut eandem illi tribuere; quin potius, quod *alterum* erit, insint huic multa, quae ille imitando assequi nunquam possit, ut adeo haec solis Vatibus diuinis relinquenda fit.

I A M

157 — there are however certain Authors — which subdue the Reader — and force from him — Esteem — this can plainly be no other than Enthusiasm: except *PERHAPS* where the *supreme Powers* have giuen there sanction to any religious Record, or picus Writ. Sic a summa potestate totam religionis monumentorum auctoritatem pendere et vel hoc dubitanter solum affirmat.



IAM hoc primum agentes, ex quo pateat, esse in Enthusiasmo poetico non tanta, quanta esse deberent, si ille cum inspiratione Vatum sacrorum aut plane conuenire existimandus, aut haec propter eum neganda sit; faciles simus in largiendo (nam quis hoc admodum neget?) concedamusque SCHAFTSBVRIO, cumque eo aliis, esse omnem de ἐνθουσιασμῷ disputationem valde delicati iudicij rem, propter eaque forte etiam non nostri; neque iidem repugnabimus, cum dicit, *non facile aliud quid reperiri, quod sit aequum ad cognoscendum ac explicandum difficile* *). Etenim quis norit omnia, quae animus hominis cogitando videndoque efficere possit, quot et quanti sint motus eius, vnde orientur, quomodo se mox efferant, mox iterum quiescant, et eiusmodi plura alia? Debeat tamen is, qui explicare vellet vniuersam rationem illius ardoris, sive etiam furoris, quemadmodum vtraque appellatione Latini, in exprimendo ἐνθουσιασμῷ vocabulo vti solent, qua vtraque etiam nos imposterum libere vtemur. Sed largiemur praeterea hoc, iudicia huius Enthusiasmi in ipsis Poetarum libris posita, vt sunt imagines splendidae audacesque et tamen aptae, feruida oratio neque tamen incitatione sua naturam deserens, flumen verborum vehemens, quod tamen rapido suo cursu intra ripas, vt ita dicam, propositi argumenti se contineat; haec omnia, itaque, eiusmodi esse, vt specie inspirationis diuinæ, sacris Poetis propriae, fallere possint non satis acutum, sitque haud parum difficile, mox huius ab illo discrimen statuere. Atque cadit

**In Epist. Sect. VII. p. 36.* The only thing — is, that Enthusiasm is wonderfully powerfull and extenive; that it is a Matter of nice Judgment and the hardest thing in the world to know fully and distinctly.

■ ■ ■

cadit omnino in hunc furorem Poeticum suauem (ne con-
temnere eum videamur, quod tantum a nobis abest, vt
eum potius amemus) quod PHILO περὶ θίου Μωσέως ex ed.
Mangeii Voll. II. p. 176. de coniecturis in diuinando dicit, esse eas
aliquando συγγενεῖς προφητεῖας, vt adeo de hoc quoque
Enthusiasmo dicere possimus, esse eum συγγενῆ θεοπνευστας.
Credimus itaque libenter ORIGENI difficultatem, quam in
disputatione aduersus *Celsum* L. VII. §. 51. fatetur reperiri
tum, cum dicendum est, quid sit artis et diu quae sitae exerci-
tationis, et quid contra soli afflatui diuino debeatur. Ἐγον
εῖ, vt cum eo loquamur, ὅτε διεφερεν τῶν ἐν διαλεγμάτων
πλείονων χωριστῶν τὴν τῆς ἀληθείας καλάληψιν — καὶ των
ἘΠΙ ΠΛΕΙΟΝ θεοφορθέτων, καὶ ἀεὶ μετὰ θεοῦ ἐπικότων
καὶ διὰ πατλὸς ὑπὸ θεοῦ πνεύματος ἀγομένων. Enim uero
plane non credimus Magno Viro id, quod hic per suum ἐπὶ¹
πλεῖον, magis perfecte aut plene, quasi quidam tamen iis acci-
disset afflatus diuinus, subindicare videtur, et quod L. VI. §. 3.
magis aperta oratione significat, dum loco ex PLATONIS
Aristone allato hoc iudicium addit, multa a philosophis illis
καλῶς dici, ὁ θεὸς γὰς αὐτοῖς ταῦτα, καὶ ἔσται καλῶς λέξεις,
ἐφανέρωσε. Veniamus itaque ad propositum. Esse vero vi-
dentur caussae praecipue hae, quibus motus aliquis Poetas
omnes, in suo genere excellentes, quemadmodum sacros in-
spiratos esse credere possit. Nam primo dicunt ipsi se singu-
lari quodam modo impelli, cui explicando verba non repe-
riant: deinde semper haec laus a Veteribus iis tributa fuit:
porro illa ignea vis orationis, sententiarum imaginumque
sublimitas ab homine non esse possunt, adeo diuinum quid
in iis latet: tandem non patet, si hoc non sit, vnde deriuari
debeant haec tam magna atque egregia. De his singulis ita-
que




que nunc sigillatim ea dicemus, ex quibus prima suscepiae defensionis ratio manifesta certaque fiat.

Quando nunc ipsi Poetae se inspiratos credunt, quod nuper MILTONVM quoque fecisse narrant, nos quidem hanc diuini Numinis possessionem excellentem iis non inuidemus, praecipue si omnes MILTONI sint, neque sensum singularis cuiusdam impulsus iis denegabimus. Enimvero numquam a nobis impetrabunt, ut eos ipsos huius Numinis interpres esse patiamur. Est enim proprium hoc iudicium fallacieissimum, atque foret sic idem fanaticis hominibus omnibus, quibuscum tamen eos re ipsa comparare non audemus, concedendum, qui toties sensu suo nobis occurrent diuinitatis pleno, quoties certi sumus eos somniare, vel etiam plane infanire. Quin etiam in iis hoc facilior est ad eiusmodi diuinioris Spiritus iudicium lapsus, quam in his, cum vere vtantur generosa animi et sensuum elatione inter scribendum. Atque haec cum neque iis ipsis quotidiana sit et semper accidat, neque cum omnibus communis, et si per ea, quae mox dicemus, mero humano ingenio apta, in promptu est, id diuinum eos putare, cuius raro fibi conscientia sunt, et quo alios plane carere vident. Sed serio, credo, hoc etiam non affirmabunt nostris temporibus, quemadmodum neque antiquissimis Poetis, quod sic palam prae se ferebant; persuasum fuisse, credibile est. His enim si cogitamus eum honorem habitum fuisse, ut putarentur religiosis cultusque diuini interpres esse, quomodo amplius dubitaremus, eosdem, quo hoc magis constanter illo honore vterentur, eiusmodi cum diis commercium fingere coactos fuisse. Atque est hoc id, quod LONGINVS in libro περὶ ὑψους de iis affirmit: πολλαχοῦ, ἀθεναιῶν εὐθὺς δοκύντες τῷ βακχεύοντι,

ἀλλα

αλλα παλιοσιν. Sed enim, inquiunt, fuit tamen communis fere omnium sapientiorum quoque persuasio, Poetarum ardorem peculiari modo a Deo ipso iis concedi. Itaque hoc alterum erit, ex quo primae nostrae defensionis argumentum sumemus.


Iam illud certum est, nihil magis frequens fuisse Veteribus, quam Poetis imprimisque HOMERO, quin etiam Rhapsodis hoc ἐνθουσάζει tribuere, eosque ἐνθουσάσας, ἐνθεός, ἐπιθεάσαται, ἐν Θεοῦ καταχεθέται s. κατεχομένος, ἐκφρονας, οὐκ ἐμφρονας et sic porro appellare. Sed esset, si hoc adeo vellemus, in his omnibus facilis responsio haec, hominibus, quibus vel infamis Pythia turpissimis fraudibus diuinum suum afflatum probasset, in tanta re minime credendum esse. Attamen hoc non adeo dicemus. Verendum enim ne nobis effugiant, dicantque, nos ita de multitudine intelligere, quod sapientissimi quicquid exstimatorint, quos constet Pythiam illam populo subridendo reliquisse. Quare ita potius aduersus eos disputabimus, ut mirum non esse dicamus, si, qui de vera inspiratione non ea edociti essent, quae nos nunc quidem nouimus, propensi essent, eos pro inspiratis habere, qui in his, quae bene et sapienter dicerent, oratione etiam vterentur, tum ad aurium voluptatem artificiosè composita, tum ad animi commotionem sublimiore quodam ornatu incedente. Atque nos ipsi, quoties non eos θεός, diuinos, dicimus, qui in quocumque genere excellunt et mirabili arte ad se trahunt ! Ut tamen nemo tunc eos vere inspiratos credit ! Vnde hoc quoque addamus, vt in locis iis, in quibus Veteres Poetas ἐνθεός, diuniore spiritu afflatis, appellant, non propterea mox existimandi sint, propriam significationem verbi eiusmodi cogitasse. Optimos, credo, praestantissimos eos esse volebant. In quo affirmando, ne-



scio, an non uti possim eo ipso dialogo, in quo PLATONI propositum est, veram inspirationem Homeri euincere, qui-que inscribitur Iau s. περὶ Ιανάδος. Etenim quas hic laudes tribuit Οὐρίων θεοτάτη τῶν ποιητῶν, tanquam τῷ Αγέτῳ, quem-admodum addit, tribuit. De hoc ipso autem Dialogo paullo post videbimus.

Sed enim ipsi in his, quae iam debilitauimus, duobus argumentis, parum praefidii ad obtainendam *Enthusiasmi* vim vere diuinam ponere videntur. Itaque pergunt hoc potius vrgere, vt dicant, esse tamen Poetarum scripta plena altioris, quam haec nostra sit, naturae effectis, regnare ubique sublimiorem humano spiritum, ardorem denique omnia inflammare, quem plane non credibile sit sine ignis coelestis participatione ita existere posse. Inde oriri elatissimos in cogitando sensus, in inueniendo incredibilem celeritatem, in fingendo admirabilem audaciam, in sentiendis animi motibus vim nulla externa vi reprimendam, atque his omnibus nunc accedere orationis cursum, cuius incitationem quidem aspicere, vestigia et quasi ingressum sequi non liceat. Inde tandem, nam et hoc addunt, fieri, vt omnes secum volentes nolentes abripiant, admirationi sint omnibus, multos imitatores nanciscantur, sed vix unum et alterum, qui pari gressu eos sequi possit. Haec illi: a quibus nunc vicissim petimus, vt nobis, qui tam liberales fuimus in hoc eorum arguento, quemadmodum ipsi facerent, enarrando, aequi etiam iudices adsint, in eodem breui oratione refutando. Iam, quae ita ratiocinando in effectis huius Enthusiasmi ponunt, quorum alii ad Poetas ippos pertineant, alii in animis legentium orientur, libenter iis concedimus, esse ea vsu perpetuo ita comprobata, vt non dubitari possit, quin vere exi-

existant. Estque omnino facilis cuius conclusio ab iis, quae ipse ad carmen sublime delatus sentiat, ad artificis inter scribendum motus atque impulsus. Ut tamen in his altiore humano spiritum, qui etiam ipsius sit Dei, quaeramus, non video, quae haec tanta necessitas sit. Neque illa ante posita vnicet inspirationem diuinam Vatum facrorum effecisse ex iis, quae postea dicemus, patebit, estque aliunde iam satis notum. Nunc id modo animaduertamus, quomodo vera inspiratio ipsa doceat ea omnia naturae relinquere; in quo non satis acutos, mirum non est de Enthusiasmo Poetico aut nimis magnifice sentire, aut difficultatem huius totius disputacionis explicare non posse. Itaque in *inspiratione diuina* maxime hoc cernimus, non plane immutasse Deum naturam atque ingenium hominis, verum singularem in modum eleuasse, et impedimenta omnia, quae aut animo ineffent, aut ab externis rebus venirent, remouendo effecisse, ut omnia uno aspectu clare, perfecte et ardenter intuerentur. Vnde sequitur, ut haec vis, res a sensibus alienas hoc modo intuendi, in qua deinde *Enthusiasmi* poetici causam ponendam esse dicemus, animis omnium iam insita sit possintque homines per eam, si eadem recte vtantur, superiora omnia affequi. Etsi numquam hoc affuentur, quod Vatis diuinis solis accedit, ut subito haec vis in iis excitetur, neque tamen eadem vim iudicandi impedit, quod postremum in illo *Enthusiasmo poetico* sapius evenire constat. Etenim nisi hoc esset, vnde ille *HORATII limae* atque expolitionis labor, tam multis molestus, et sine quo Poeta humanus perfectus nemo extitit, Vates diuini tamen omnes? Vnde illa eiusdem vox



— — carmen reprehendite quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Perfedium decies non castigavit ad unguem.

Et viderat tamen hic ipse HORATIVS Bacchum, vel,
quod libentius credo, et si illud potius nos credere iuss erit,
vinum, ex quo (Lib. II. Od. 19) mens trepidabat

Plenoque Bacchi pectore turbidum

Iaetabatur. Atque profecto nescio, an non in hoc Enthusiasmus Poeticus, cum inspiratione diuinorum Vatum comparatus, plane similis sit eorum ingenio, qui, ut aliquis, QVINCENTIANVS forte, dicit, conducti in funere plorant et faciunt prope plura dolentibus ex animo. Nam quemadmodum illi veros fletus imitari possunt dolendo, cum insit animis eorum vis dolendi, quam sic arte excitant, ita et ἐνθυσιαζόντες Poetae, quando proxime accedere videntur ad ἐλλαμπομένους ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Vates, faciunt hoc, quoniam id natura iis dedit excolendum arte et industria perficiendum, quod in illis Deus ipse illlico perficiebat modisque multis augebat. Sed venit hic PLATO scrupulum iniciens, cum suo Tynnicho Chalcedeo, qui ineptissimus antea repente Poeta summus extiterit, quam repentinam excitationem nos ipsi paulo ante inspirationi tribuendam esse affirmauimus! Vult itaque, ut hoc arte industriaque perfectum Enthusiasmo poetico non temere tribuamus. Sed ipsum locum adscribemus, ut non solum lectores difficultatem peruident, sed ut intelligent quoque, quam praeclare optimus Vir de inspiratione differuerit, et si in concedenda ea homini illi nimis facilis fuisse reperiatur. Itaque haec eius verba *dial. laud.*: διὰ ταῦτα ὁ Θεὸς ἐξαιρούμενος τούτων (sc. ποιητῶν) νοῦν, τοῦτοι χρῆται ὑπηγέρταις, καὶ τοῖς χρη-

μα

μαρδοῖς, καὶ τοῖς μάνγεσι τοῖς Θεοῖς, ἵνα ἡμεῖς διακένοντες ἐδῶ-
μεν, ὅτι ὅνχ ὅντοι ἐστὸν ταῦτα λέγοντες ὅντω πολλὴ ἀξία, δις
νοῦς μὴ πάρεσιν, ἀλλ’ ὁ Θεὸς αὐτὸς ἐστὸν ὁ λέγων — μέγιστον δὲ
τεκμήριον τῷ λόγῳ Τύννιχος ὁ χαλκιδεὺς, ὃς ἀλλο μὲν ὄντεν πωποτ’
ἐπίσημος ποίημα. ὅτου τὸς αὐτὸν ἀξίωσειε μνηθῆναι. τὸν δὲ Παυλοῦ
ὅν ποιῶντες ἀδεουσι, χεδόν τι πάντων μελῶν καλλινον. ἀτεχνῶς (ὅπερ
αὐτὸς λέγει) ἔργηστι Μουσᾶν. Quis non miretur talia a
PLATONE dici, vt, deum per homines inspiratos loqui; hos
ipso adeo magna per se non dicere posse; Deum in iis ve-
nerandum audiendumque esse! Itaque ignoscamus etiam hoc
lubentiores sapienti Viro, si eum in ista persuasione de diuinis-
tus inspirato Tynnicho lapsum videamus. Poterit enim pro-
fecto a lapsu non defendi, qui in re adeo singulari professio-
ne Poetae φανταστῶν, quem fuisse illum paulo post fatetur,
vtatur, quo eum inspiratum fuisse vincat. Etsi enim credi-
bile est, verba ὅπερ αὐτὸς λέγει, addita esse, vt rei fidem
augeant, nemo tamen sit, quin videat eam sic multo plus
minui, etiam ob ea quae ante diximus. Qui mihi dixerit se
ἀτεχνῶς cecinisse, eum hoc certius persuasus ero, τεχνῆ με-
γίσῃ vsum fuisse. Sed ne veram argumenti vim verbum ca-
ptando eludere velle videamur, traducamus disputationem
ad ultimum horum argumentum, qui Enthusiasmum Poeti-
cum a vera inspiratione differre vix credunt. Erit enim hic
locus proprius tollendae difficultati, quam, vt boni disputato-
res, nobis ipsi ex loco Platonis finximus.

Itaque, quando sic argumentantes vincere non possunt,
premunt percunctando, ynde ista demum Poetis nasci putemus
nisi detur illis diuinus quidam afflatus? voluntque, vt, si hoc ex-
plicare non possimus, confiteamur magnam amplius supereffice
eius rei suspicionem. **Enimvero nimis dura lex, praecipue, cum**

ab



ab iis ponitur, qui, in quibus caussarum nexus vel maxime latet, tamen recte vident non propterea ad Numinis diuini singularem quandam affectionem mox recurrentum esse. Sed nolumus adeo eorum in statuenda hac lege illiberalitatem accusare, cum non desit, de his quoque caussis disputandi probabilis ratio. Neque **SCHAFTSBVRIO** difficile fuisset plus in iis videre, si ferio agere voluisset, cum nunc nemo minus vidisse reperiatur. Quam parum acute enim ponit hoc, Poetis propterea sollempne esse Musas invocare, *quoniam nemo praestans aliquid efficere possit, nisi vere credat se a Numinis quodam afflari* *). Itane ferio putare poterat **LVCRETIVM**, magnum Deorum irrisorem, de diuiniore quadam inspiratione cogitasse? dum canit,

Alma Venus — — — — —

— — — — —

— — — — —

Te sociam studeo scribundis versibus esse

Sed necesse non est his nugis diutius immorari, nobis quidem, qui haec iis scribimus, quibus persuasum sit, **VENEREM** vel centies inuocatum ad tale opus perficiendum nihil tribuere posse. Quin itaque ex ipsa potius Veterum de Enthusiasmo poetico doctrina eiusmodi quid afferamus, vnde ad caussam eius aliquam, in homine positam, facilis conclusio fit. Erat vero constans fere Veterum opinio *enθousiōtēs* Poetas,

* Cf. *initium epistolae*, et in *eadem p. 35.* haec: no Poet can do any thing great in his way, without the imagination or supposition of a *diuine Presence*, which may raise him to some degree of this *Passion (Enthusiasm)* we are speaking of. Euen the cold **LVCRETIVS** makes use of Inspiration —


Poetas, esse eosdem *cūn ἐμφέρονται, ἐκφέρονται, non mentis capaces*
verum ea alienator; vnde Latini, quem Enthusiasmum graeci
appellabant, eundem aliquando *insaniam* vocabant. Haec
illa DEMOCRITI persuasio, qui eos solos Poetas esse affir-
mabat, qui insanirent, vnde HORATIVS (de arte poetica.)

— — *excludit sanos Helicone Poetas*
Demoeritus — — — — —

Atque hic quidem quisque per se videat, qui sic *insaniam* tri-
buebant Poetis iisque *insaniendum* esse adeo praecipiebant;
 non id potuisse existimare, vt haec eorum insania ad illorum
 omnino accedere deberet furorem, qui atra bile, aut singu-
 lari animi aegritudine laborent, in quibus, constat, *insaniae*
 appellationem proprie haesisse. Itaque existimandi potius
 sunt, quarum rerum ab eodem fonte esset manatio, easdem
 etiam eodem nomine comprehendere voluisse. Nunc autem
 in omni furore, in quo is morbus esse censetur insanien-
 tium hominum, illam vim animi laedi videmus, quae imagines
 rerum nobis clare et distincte proponit. Ut adeo, si in vna
 re mens diutius defixa haferit exhaueritque quasi totam
 eius imaginem, illa porro animi vis, qua sentimus appetimusque,
 tota ad eam rapiatur existantque adeo commotiones animi plu-
 res vehementissimae eaque secum pugnantes, vt sunt metus,
 spes, moeror, desiderium et sic porro. Quae omnia quando
 non possunt expleri aut extingui, necesse est, vt ista insania se-
 quatur. Atque ad eam nunc proxime accedit Poetarum
 furor, isque non minus oritur ex commemorata vi animi, qua
 res etiam a sensibus valde remotas, quasi imaginibus earum
 propositis, ita intuentur, vt nunc omnes animi commotiones

C

orian-



orientur, quae illas per se soleant comitari. In qua vi imaginandi resque sublimes intuendi bene vidit PHILo de migra. Abrahami Vol. I. p. m. 441. omnem Enthusiasmum ponendum esse, dum ita de se ipso loquitur — μυσιάκις — Βουληθείς εἴνι ὅτε κατὰ τὴν συνθήη τῶν κατὰ τὴν φιλοσοφίαν δογμάτων, γραφὴν ἐλθεῖν, καὶ ἡ χρῆσιν συνθέναι αὐγεῖσθως ιδών, ἄγονον καὶ σείραν ἔνθει τὴν διάνοιαν — — — εἴπι δὲ ὅτε κενὸς ἐλθὼν, πλάγης ἐξαιφνῆς ἐγενέμην — — ‘ΩΣ ἈΠΟ ΚΑΤΟΧΗΣ ἘΝΘΕΟΥ ΚΟΡΤΒΑΝΤΙΑΝ, καὶ πάντως ἀγυσεῖν τὸν τόπον, τοὺς παρόντας, ἔμαυτὸν, τὰ λεγόμενα, τὰ γραφόμενα. σχεδὸν δὲ ΕΡΜΗΝΕΤΕΙ ΕΤΡΕΣΙΝ, ΦΩΤΟΣ ἈΠΟΛΑΤΣΙΝ ὉΧΤΔΕΡΚΕΣΤΑΤΗΝ ὉΨΙΝ, ἘΝΕΡΓΕΙΑΝ ΤΩΝ ΠΡΑΓΜΑΤΩΝ ἈΡΙΔΗΛΟΤΑΤΗΝ, ΟΙΑ ΓΕΝΟΙΤ’ ΑΝ ΔΙ’ ὉΦΘΑΛΜΩΝ ΕΚ ΣΛΦΕΣΤΑΤΗΣ ΔΕΙΧΕΩΣ (mox vero vacuus accedens repente repletus sum — — quasi a numine correptus, ut vix nec locum, nec praesentes, nec me viderem, aut quae differendo scriberem; sensi enim interpretationis copiam, visum acutissimum, rerum manifestissimam evidentiam, qualis oculis ex clara demonstratione percipitur) Vide! quam in ultimis verbis omnem huius, vti in Poetis existit, imaginandi vis, rationem exhauiat. Sed ita quoque videbis eundem, et si verae inspirationi quam proxime ipsi accedere videatur haec mentis eleuatio, tamen non audere eam ipsam affirmare. Vnde solum dicit ea sibi euenire; QVASI a Numine correpto. Illud vero facile patere existimo, vnde veniat, vt haec Poetarum ἔκστασις non ad eandem furiosorum hominum *insaniam* ducat, quin potius eam solum imitetur. Etenim, cum in fictis imaginibus haeret Poetae mens, de industria eas ante aduocat, tanquam quibus carmen exornet, easdemque opere perfecto rursum mittit; quod contra fieri videmus ab hominibus vere insaniens.

nientibus. Vti enim hi non ante has imagines sibi parant, sed ex quodam animi aut corporis vitio in id contemplandum feruntur, quod excitet eas, easdem quoque non ita facile delere possunt, nisi causae illae in ipsis latentes remotae sint. Vtrorumque tamen mens, necesse est, vt ad eundem intuitionis effectum producendum in re aliquā peruidenda tota infixa haereat. Atque hoc, cum aliter fieri non possit, nisi ita, vt a rebus externis animus abducatur sitque sibi relictus, inde fit, vt, qui plurimum in eo valeat possitque quam celerrime se intra animum suum recipere, et quamdiu velit, nulla re motus, permanere, hoc aptior reddatur contemplationi videaturque sibi hoc citius in imagines rerum ferri. In quo itaque *insaniunt*, in eo semper querenda naturalis illa, quam explicauimus vis, quaeque de *repentina* sua ἐκσάσει narrant, in his quaedam subtilior ars latet, quam visu antea et exercitatione frequente consequuti sunt. Itaque si haec teneamus, sit haec Poetarum insania *amabilis* illa, in qua sibi adeo placebat **HORATIVS**, vt ea vteretur ad fictam Musae suae inspirationem pulchre ridendam, (L. III. od. 4.)

Auditis? an me ludit amabilis

insania

Sed fuit haec ita vera, vt ii Poetae ab omni tempore maxime excelluisse existimati sint, qui possent eandem vim, quam ipsi haberent, in aliis optime excitare efficereque, vt quasi in tabula picta rem obscurissimam descriptam viderent. Credentes vero hanc carminis picturam, *ex funo*, vt Idem ait, *tunc* aliis daturam esse, nisi his quoque a natura datum esset, animi visu quodam vti et hoc plus videre, quo aciore et longiore eodem vtantur? Sed satis, vt puto, disputando, quod

C 2

primo



primo a nobis positum erat, confirmauimus, vt adeo intelligatur, non tanta inesse Enthusiasmo Poetico, quanta deberent, si aut inspiratio diuina Vatum facrorum propter eum deferenda, aut haec eidem tribuenda esset. Maneat itaque certum quoque hoc, inter inspirationem et ardorem Poeticum hoc vtrumque discrimen interesse, vt vis animo propria in illa a Deo ipso excitetur siveque subitus ad canendum fiat impulsus, in hoc vero eadem vis contemplationis assiduitate eleuetur; vtque porro, quae per illam mox perficiebantur clara rerum omnium cognitio totiusque animi vehementissima commotio, per hunc longa demum exercitatione quaesita inueniantur, et si ne tunc quidem omnibus numeris absoluta.

SED dicit hoc proxime ad alterum defensionis nostrae caput, in quo contra vincemus, multa in inspiratione Vatum facrorum diuina deprehendi, quae ille Enthusiasmus imitando nunquam affequi poshit, vt propterea solis illis relinquenda sit. Illa multa vero omnia recensere cum nimis longum foret et sint quaedam eiusmodi, vt facili coniectura ex aliis ducantur, potiora solum dabimus.

Si itaque curiosius in Poeseos sacrae ingenium inquiramus, ante omnia hoc animaduertemus tanquam certissimum, eam vniuerse sumtam non ex parois initii creuisse, tanquam domi a magistris artis educatam atque excultam, sed inuentam et perfectam simul extitisse. Quam rem LOWTHO V. Cel. in *Praelectt. de Poesi Sacra* (prael. II.) affirmanti, non video, quare adeo eius libri laudatores quidam credere noluerint. Positne aliquis dubitare, quin Odae ἐν χαρ-
γικῆς artificium a MOSE inchoatum perfectumque simul reperiatur, qui cum eadem DAVIDIS ex hoc genere carmina comparauerit? Quam non videas in illa eadem, quae in his,
omni-

omnibus admirationi esse sensuum, imaginum, dictionis denique ornamenta, cum tamen inter vtriusque tempora longa annorum series effluxisset! In quo quis non videat diuinioris Spiritus vtrique communis afflatum quaerendum esse. Idem vero de Poesi sacra in vniuersum positum, non minus de singulis librorum diuinorum carminibus valere existimandum est. Nam in his quoque praeclare incepta vndique simul absoluta apparent. Hic, vbi omnia

— — *in carmine nitent,*

nihil iners, nihil durum, nulla ambitiosa ornamenta ambigueque dicta quemquam offendunt, omniaque sine arte compo-
- sita artis peritissimos ad se attrahunt; quae vix aliquis in ma-
- xima ingenii vi multorum annorum exquisita opera instituere
possit, ea omnia uno momento perfecta esse deprehendimus.
Quod ne quis putet de ea perfectione intelligendum
esse, ad quam potuerit illis temporibus Poesis adduei, his, quae
nunc proxime addemus, cautum eamus.

Tribuimus enim Poesi sacrae non solum hoc, vt mox in suo genere perfecta exiterit, verum quoque, vt eo modo a primis initiis excelluerit, quo nihil perfectius cogitari possit et ad quem, vti proxime accedit humana Poefis, ita maxime laudatur. Illa initia cum sine dubio quaerenda sint in lau-
- dato Mosis carmine triumphali (*Exod. XV*) en! paucis vi-
deamus, quomodo in eo omnes illae coniunctae sint elegan-
tiae, quibus perfectissimae Odae artificium contineri vo-
lunt. Iam vix monendi sunt lectors, seruare Poetam diu-
num per totum carmen non exquisitum ordinem, sed grata quadam Odae propria negligentia placere, et nunc Dei omni-
potentem manum, nunc Pharaonis interitum, iterum populi

C 3 sub suo opere Israe-



Israelitici liberationem enarrare, atque ab altero horum mox ad alterum iterum redire. Hoc potius dicemus, quod maxime ad suauitatem huius carminis pertinet positumque est in delectu imaginum, quae sint omnibus notae et tamen minime abiectae, illud omne hic reperiri. Ipse experire, an non ex hoc genere sit imago quae statim *diss. 5.* occurrit. Hic quis non intueri putet Pharaonis et exercitus eius interitum, si audiat!

וַיְרִדוּ בְמַצּוֹלֹת כְּמוֹ אֶבֶן

ruunt in profundum sicut lapis

Quis non porro plane desperet, eos vnuquam iterum, tanquam mari opertos, in terra ambulantes videre, si noua imagine inducta Poeta ei affirmet:

צָלָלוּ כְאֹפֶרֶת בְמִים אֲרוּרִים

quem lapsum grauiorem ita eleganter expressit LVTHERVS noster, vt prosa oratio, nescio quomodo, in versum surgat,

Sunken unter wie Bley im machtigen Waffer

Quam non iterum elegantissima metaphora latet in his

חרונֵךְ יַאכְלָמֵנוּ קַקְשׁ

ira tua eos consumebat sicut stipulam

Nam etsi imago *confusionis stipulae*, quae igne fit, minus apta videri posset atque accomodata ad interitum in mari describendum, tamen primo magis aptum nemo aliquid repetiat, si cogitet, latentem fieri comparationem irae diuinae cum igne. Nonne itaque duas imagines vitio quodam, a quo optimi Poetae non satis sibi cauere deprehenduntur, permiscisset, si effectum irae diuinae alia imagine declarare voluisse? Finge eum dixisse

ira

▲ ▲ ▲

ira tua consumit eos sicut plumbum mare


et nunc vide, quomodo tota elegantia huius distichi peritura sit! Sed ineft praeterea huic latenti metaphorae eiusmodi quid, ex quo magna sensuum sublimitas oriatur. Etenim quid sublimius cogitari possit, quam iram Dei ita ardenter fingi, vt neque vastum mare eam extinguere potuerit eaque in illo ipso, sicut ignis stipulam, homines profanos consumferit. Sed dum delectus imaginum aptissimarum cogit, vt Od- den hanc in perfectissimis numeremus, earundem vhus non minorem ad hoc iudicium vim habet. Est enim proprius Odae character, in imaginibus vtendis comparationem cum re proposita magis aperte exprimere, vnde oritur similitudo eaque cauetur ne obscurior ad intelligendum res fiat. Quem χαρακτήρα accurate atque constanter per totum carmen seruari videmus, in quo iusta allegoria nulla, hoc plures vero apertae similitudines reperiuntur. Ab his imaginibus si nunc transferre velimus orationem ad reliquias elegantias hasque omnes enarrare, commentarius nobis scribendus foret. Quare satis nobis erit eas breuiter indicasse. Videant itaque qui de his rebus iudicare possunt, an non orationis sublimitas egregie augeatur, abrupta illa per verbum monosyllabum dicit. 7 clausula?

— יאלמו כקש —

an non porro hostium furor et incitatus cursus, eodem quasi cursu verborum rapidissimo dicit. 9. plane ante oculos ponatur? Dicit hostis

ארוף אשוג אוחליך שלל
insepar, prehendam, diuidam praedam

Vt



Vt non dicamus in illo אָרְךֵנִים, nisi nos iudicium aurium fallit,
quasi ipsum strepitum currum audiri. Idem vero, quibus haec
scribimus, facile sentient, quam sit animo, rei nouitate et mi-
raculo commoto, aptus ille vsus verborum temporis praeteriti
in locis, quibus futuri euentus describuntur *dijst. 14. et 15.*

שמעו עמים — חיל אזה ושבוי פלשׂת
— נמנו כל ושבוי כנען
audierunt populi — tremor apprehendit Philistaeos
— — — cecidit cor omnibus incolis Canaan.

Tandem quis non miretur hanc *dijsticho ii. Episoden raptum-*
que subitum poetae in coelum, postquam in mare deiectos
viderat hostes,

Domine quis sicut tu inter Deos?

Quis praeter te, cuius tantopere celebretur maiestas?


Terribilis, omnibus celebranda admirandaque faciens?

Quis vero, si ita in initiosis suis ornatam videat Oden hebraicam, non facile nobis largiatur alterum illud, quod Poesi diuinæ proprium esse affirmauimus, ponendo, eam ita quoque ab omni tempore perfectam fuisse, vt vel delicatissimi homines nullum elegantiae genus in ea desiderari possint, eaque semper in summo, ad quod assurgere vnuquam potest, fastigio constituta reperiatur. Hoc tantum vero sine Numine diuino praesente accidere potuisse, plane non credibile est.

Atque huic proximum id esse videtur, quod, quae in Poesi externa maxime placeant, eorum elegantia valde immittuntur, si locus similis in Poesi sacra tractatus occurat, quo cum illa comparari possint. Aut enim carminis pulchritudines apud Poetam diunum omnino superiores sunt, aut haec nus flunt, quatenus certum est atque patens easdem in carmen

men, humano artificio extructum, translatas esse. Itaque illa de causa semper HORATIVS aut HALLERVIS postponendi erunt DAVIDI, in qua maxime conuenire videntur, Viri boni constante atque immota mente describenda. Videamus quomodo! HORATIVS inquit

Iustum et tenacem propositi virum



*Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.*

Non minus eleganter, forte etiam sublimiore breuitate vtens,
HALLERVIS canit:

*Welten können ihn decken
Aber nicht schrecken*


Vterque itaque sic canendo efficit, ut Vir iustus atque pius, in summo periculo constitutus, omnes in sui admirationem rapiat. Sed enim DAVIDES multo plus assequitur, dumque pios ipsos loquentes iudicavit, *Hymn. XLVI.*

*Si fractus illabatur orbis rell.
לא נירא — non timemus*

non solum eundem admirationis sensum extorquet, sed cogit etiam, vt facilius credamus eiusmodi constanter pium hominem existere posse, quam fidem illis duobus affirmantibus tanquam in re aliena, vix sine haesitatione tribuimus. Sed sunt etiam multi loci, in quibus Poetae diuini reliquos longe superare deprehendunt propterea in primis, quo-

D

niam



niam patet hos illorum Spiritum diuinum imitando exprefſiſe. Quam rem vti facile nobis eſſet, magna exemplorum copia conſirmare, ea tamen eiusmodi eſt, vt diligentis vtrumque lectoris iudicio tota relinqui poſſit. Si quis tamen de ea re a nobis admoneri cupiat, ei auctores ſumus, vt, exempli cauſa, vnum tantum KLEIſTII *Hymnum*


*Gros iſt der Herr
Die Himmel ohne Zahl rell.*

eiusdem generis reliquis omnibus praférendum, cum Hymnis Dauidis ἐυχαριſτεῖς comparet. Eum enim certi ſumus facile per ſe intellegeturum eſſe, quanta et quam multa Spiri-
tui DAVIDIS Muſa Illius debeat.

Supereſt tandem vt in iis *multis*, in quibus Poetarum diuinorum inspirationem Enthusiasmus poeticus nunquam aſſequi poſſit, hoc quoque ponamus, quod in ingenio Poeta-
rum orientalium omnium obſeruare licet ab occidentalium ratione abhorrens, quodque egregie temperaffe deprehen-
ditur sapientia diuina in Vatibus ſacrīs. Ut adeo hoc nouo
inspirationis verae argumento ſit. Etenim, cum commune ſit
populis orientalibus iisque a natura datum, feruidore ingenio
vti, atque indeſiat, vt carmina eorum audaciflmiſimis imaginibus
ſenſibusque elatiſlimis, nobis ſemper obſcuritatem parientibus,
aliando etiam riſum excitantibus, plena ſint; aequabile
contra in diuinis carminibus ſcribendi genus animaduer-
timus, quod modum feruet inter noſtrum frigidorem illorum-
que ardentiore ſpiritum. Ita omnia in ſumma ſublimitate
plana atque clara, et in maximo pondere linguam edocto fa-
cilia ſunt, vt, fi quae remaneat obſcuritas aut difficultas, ea
potius in *tempore* ſcriptionis quam in *modo* eius quaerenda ſit.

Sed

Sed iam longiores fuimus, quam propositi libelli con-
suetudo requirere videatur. Etsi itaque et illa superiora am-
plius edifferent, et plura alia addere facile foret, nunc tamen
id potius agemus, vt lectores nostros, atque in primis, qui
sacrarum litterarum studiosi esse velint, quibusque proposi-
tum fit, aliquando aliis carum frequentem lectionem quo quis
modo amabilem reddere, sedulo admoneamus, vt, quam multa
in *inspiratione diuina* Vatum Sacrorum posita sint, diligenter
cogitent, hisque moueantur carminibus sacris ita uti, vt Poet-
ae reliqui omnes hactenus tantum iis placeant, quatenus
proxime ad illorum suavitates accedant. Atque hoc fiet, si
quaes de *praefidis Theologiae ex Genio seculi litterarii petendis*
nuper publica oratione diximus, constanter teneant, ne que
humani ingenii monumenta, sententiarum luminibus omnique
orationis decore exornata, plane contemnant. Nam cui haec sor-
dent, quomodo is ad diuiniorum librorum elegantias explican-
das aptus reperiatur! Itaque vehementer etiam laetamur, s e-
RENISSIMI atque C E L S I S S I M I D V C I S Brunsuico - Lune-
burgensis gratia, ad eiusmodi in hac Academia munus nos
euocatos esse, in quo hoc maiore cum alacritate atque studio, in
Scriptura diuina omni in primisque Vatum sacrorum libris
explicandis, aliis praeeundo professe possumus. Neque ve-
rendum est, ne vnquam nostri officii immemores in eo
recte subeundo reperiamur, quibus tantus ineft elegantioris
Theologiae amor et multo maior PRINCIPALI OPTIMO omni
nostra vita gratias deuotas agendi religio. Itaque has, quas
nuper, sollempni eius rei causa oratione habita, satis experti sumus
verbis nunquam haberri posse CLEMENTISSIMO PRIN-
CIPALI, nunc quoque magis studiorum nostrorum, in hac Aca-
demia de eius consilio instituendorum, ratione proposita ex-



plicabimus. Est nimurum propositum, COMILITIONIBVS
AMANTISSIMIS per hoc semestre aestiuum praelegendo ita
consulere, vt

Hora XI.-XII. ante meridiem *historiam dogmatum* a primis
post C. N. seculis usque ad haec tempora enarremus,
multisque documentis eius usum in *dogmatum do-*
ctrina, interpretatione Scripturarum et Theologia contro-
ver/a, ostendamus. His praelectionibus publice ha-
bendis deinde priuatim addemus

- II-III post meridiem institutiones interpretis Scri-
pturarum sacrarum S. V. ERNESTI in *Institutiones*
Interpretis N. T. praeceuentem sequentes. Tandem
- IV-V singulis diebus lectiones *cursorias* in libros
omnes V. T. instituemus, uno anni curriculo ita
perficiendas, ut a libris *historicis* ad *prophetarum* libros
intellectu faciliores transeamus, tandemque in diffici-
lioribus subsistamus.

Quibus omnibus si hoc consequuti erimus, ut D E O ac PRIN-
CIPPI eiusque Amicis muneris recte expleti conscientiam
probare possimus, amplius non dubitamus, quin hoc magis
aliis quoque studia nostra grata atque iucunda esse debeant.

P. P. in Academia Iulia Carolina a. d. xiv. Aprilis

M D C C L X I I .



AB: 153369



Sb.



12

DEFENSIO
INSPIRATIONIS DIVINAE
VATVM SACRORVM
ADVERSVS
ENTHVSIASTM V POETICVM.

PRAELECTIONIBVS
PROFESSORIS THEOLOGIAE ORDINARII
AVSPICANDIS

PRAEMISSA

A

GVILIELMO ABRAHAMO TELLER D.
PASTORE PRIMARIO AD AEDEM D. STEPHANI
ET SVPERINTENDENTE GENERALI.

HELMSTADII
LITTERIS MICHAELIS GUNTHERI LEVCKART.